

Divinâ Disponente gratiâ

CURTAM METEOROLOGIAM

*In Illustri Academia ad Aoram Finnonia Pro Magisterij
Philosophici gradu ritè obtinendo,*

Amplis. Facult. Philosophicâ consentiente:

P R A E S I D E,

V I R O Reverendo & Praclarissimo,

**DN. M. ABRAHAMO GEORGII
THAUVONIO**, Phys. & Botan. Professore pub, Syne-
drij Cathedralis Assessore dextrimo; Pastore in Lundo fidelissi-
mo, Facult: Philosophicæ p. t. Decano Spectabili: Præcepto-
re & Promotore suo reverenter colendo.

ABRAHAMUS A. IKALENSIS,

Die 3^a Majj, Anni cl. lcc. l. vi.

Publico eruditorum Examine sistic



A B O Æ

Excusa à P E T R O Hanson/ Acad. Typog.



*Eruditione, multarumq; rerum usu & experientiâ
Spectatissimo,*

DNO. P E T R O E. Gersl

Regiæ Academiæ Aboënsis Quæstori solertissimo,
Fautori & benefactori jugiter devenerando.

Ut Et

VIRO Reverendo & Humanissimo.

DN. ABRAHAMO JACOBI

Pastori Ikalensium fidelissimo, Patri Charissimo, filiali
amore & obsequio ætatè honorando,

*Disputationem hanc Inauguralem dedicat &
offert reverentèr & officiosè.*

Abrahamus Ikalensis,



I, N. I.

Π Ρ Ο Α Γ Ω Γ Η Σ Μ Α



Um ad nutum Dei T. O. M. Academicarum constitutionum tenorem, & amplissima Facultatis Philosophica decretum; Materia aliqua, quae maximè digna esset, publicè hac vice, ventilatione, limata eruditorum censura per me submittenda fuerit: Abs re omninò judicari nihil eorum teneri consideratione qua oculis nostris sæpius obversatur nosq; in summam infinita potentia & Sapientia divinæ rapiunt admirationem. Quocirca cum impressiones istæ Effluviorum hanc subeant rationem, quas Aristoteles Meteora nuncupavit; tum: Quia maximam partem in sublimi generantur; tum quia animam reddunt suspensum, & sublimium ingeniorum requirunt speculationem: Pro ut ex Tucydide & Iosepho, Lonicerus & Garcæus loquuntur; de istis quid verè sentiendum, impræsentiarum decrevi allaborare. Sit itaq; in nomine Domini.

Theorema I.

Meteora sunt effluviorum affectiones, nunc in hac nunc in alia formâ ea representantes,

In Analyti hujus definitionis duo cumprimis occurrunt notanda Genus vidz: & Differentia. Ejus rationem affectiones effluviorum cum recentioribus obtinere, & non corpora imperfectè mista, ut plerisq; placet; statuimus. In Meteoris enim materia licet substantialis, Forma ta-

men, quæ rei dat essentiam semper Accidentaliter reperitur, & accidens corpus esse nequit, quippe quod substantia. Ergo *Pluvia, Grando, Nebula, Ventus &c.* ne dum, *Irâ, Parelus &c.* non corpora sed Accidentia sunt, quia ab accidentali formâ denominantur. Rectè igitur non corpora sed Effluviarum affectiones, per quorum *ὁὐρανὸν & τὴν γῆν* fiunt, (presertim si de hypostaticis sermo sit) definiuntur. Differentia ex causarum consideratione dispalescet.

II. Efficiens causa meteororum naturalis Remota, sunt corpora coelestia; Particularis calor & Frigus.

Præter Naturalia Meteora, quæ ex naturalibus causis fiunt & producuntur, super naturalia etiam quæ ostenta potius quàm verè Meteora dicenda. ex supernaturalibus causis oriri, Historiæ cum Veteres tum Recentiores exemplorum plenæ & quotidiana experientia loquuntur ac D. contestatur Lutherus. *Aliquando enim Deus T. O. M. præter consuetum modum multa movet, multa excitat, insolitorum & singulorum casuum prænuncia: Aliquando etiam ipse Diabolus ex permissu cunctipotentis, varia in aëre Spectra producit, & conatur iisdem homines sapius decipere: Aërem Meteororum præcipuum turbat domicilium: Draconis volantis specie oppido delectatur: Igni fatuo & fulminibus sese admiscet, ut Dei permissu homines à viâ seductos terrendo, & in loca periculosa deturbando ledat, conjuratis suis fucatas divitias afferat, lac, frumentum & alia expuat, pro aëro & argento carbones deportet.* Vera autem Meteora Diaboli cum ipsis sagis producere non possunt, quia ista Deum, cui nulla cum Belial conventientia agnoscunt authorem; Sed certis limitibus circumscripti eorum sunt furores, non possunt pediculos educere; Nec nisi ejus rei à Christo impetratâ veniâ vel porcos invadere. Naturalium Meteororum causas investigare nostri est instituti, è quorum productione non exclu-

excludimus causam illam sine causa ut rerum omnium, ita etiam Meteororum Deum T. O. Max. a cuius utero egressa est glacies, & Pruinam de cœlo qui genuit, vehementissimo imbri suum dedit cursum, & viam fulguris & tonitru. Naturalis causa remota ut diximus, sunt corpora cœlestia quæ virtuali suo influxu magnam vaporum & exhalationum copiam ex terrâ & aquâ erunt, eamq; diversimodè, pro diversitate objectorum ad Meteororum generationem disponunt. Particularis est Calor & Frigus. Calor aquam cum terra pervadit, attenuat & solvit in halitus, & interventu levitatis quæ calor insequitur effert in altum. Frigus exhalationes sursum evertas condensat, & in guttularum descensu constringit coarctat & obstruit.

III. *Finis Meteororum est utilitas creaturarum.*

Excepto enim sine Theologico, Gloriâ vidz. Dei, & demonstratione infinitæ potentiæ & sapientiæ Divinæ; Poenâ impiorum & probatione piorum; Etiam Naturalem habent; totius vidz. Universi perfectionem, & creaturarum utilitatem. *Ignita* nimirum dum aërem variis qualitatibus affectum, venenatis vaporibus absumptis purgant: *Aquea* dum terram humore salutare perfundunt; Unde frugum aliarumq; rerum necessariorum generatio conservari potest. *Fluosa*, dum molendinis & navigationibus, mutuas præstant operas. Et deniq; futurorum præsagium subministrant.

IV. *Materia Meteororum sunt Effluvia.*

Qui Meteora corpora imperfectè mista esse statuunt, communiter illis Materiam Ex quâ tribuunt, & quidem duplicem vel: *Remotam*, utpotè quatuor Elementa, præcipuè tamèn Aquam & Terram. Vel: *Propin-*

quam ut Effluvia, sed cum Meteora sint Accidentia, ut Superius declaratum, Materia Physica, ex qua, illis denegatur. In qua tamen sunt Effluvium tum *Simplex* tum *Mixtum*. Hinc igitur facile colligimus, *Cometas, Galaxiam, Mare & Aquas fontanas*, Meteori nomine non posse comprehendendi, quia hæc cum substantiæ sint corporeæ, etiam Materiam habent propriè ita dictam. *Cometas enim non vasq; stellas quod attinet, lumina quadam nova sunt & Extraordinaria in Regione Æthereâ à Deo natura Authore & Rectoris ad significandum peccatorum pœnas aut pietatis præmia seu alia futura, modo supernaturali producta. Galaxia vicissim Meteoron dici non potest, nec aliud est quàm multarum stellarum invisibilium congregatus fulgor; Deinde cum sit perpetua, eandem semper a terrâ servet distantiam, & per Unicum cernatur orbem Meteoron malè appellatur, quippe quod ad tempus tantum durat, nunc in Supremâ, nunc in mediâ, nunc in infimâ aëris regione generatur, & non ubiq; simul apparet; Eadem ratio de Mari & Aquis fontanis. Fontes enim ut in mare fluunt, ita etiam inde habent ortum.*

V. Formâ Meteororum Accidentalis & non Substantialis est; Ob diversam materiæ, loci, Efficientiumq; dispositionem variâ.

Succedit jam Causa Formalis paucis enucleanda, ubi non multum discordant authores, sed omnes ferè in hoc uno conveniunt, quod vidz. forma Meteororum sit varia, ob diversam Materiæ, loci, Efficientiumq; dispositionem. Aliam enim Formam Meteora habent Hypostatica, aliam Emphatica. Exemplo vapor est: *Copiâ majori è terrâ cum egreditur, inq; aëris infimâ parte subsistit, nebulam gignit. Idem in medias aëris sedes evehctus in nubem dege-*

dēgenerat. Idem loci frigiditate condensatus pluvias offert. Idem in guttularum descensu frigore constrictus, grandinem exhibet. Simile iudicium de Effluvijs reliquis.

VI. *Meteora Commodē dividuntur in Hypostatica & Emphatica.*

Ut forma Meteororum varia & diversa; Ita & ob huius ac loci diversitatem variæ eorundem circumferuntur *Divisiones*: Sunt enim quibusdam vel *supera* quæ in aëre generantur, ut *Nix*. &c. vel *Infera*. quæ circa terram, ut, *Ignis Fatuus* &c. Vel *in terrâ*; ut *Terra Motus* &c. fiunt & producuntur. Quibusdam alia *σηματικὰ* *Singnificativa*, eaq; vel: *Usitatoria*, ut: *Parelius*, *Paraselene* vel *Inusitatoria*, quæ vel *Extraordinariè* fiunt; ut *Nives tempore aestivali*: Vel à *Mediocritate suâ* recedunt. Ut *Pluvia frequentiores*. Vel *Naturali modo* & *cursu* fiunt. Vel *ἄσηματτα* quæ per se nihil futuri significant, ut *Pluvia* & *Nubes*. Aliis alitèr distinguntur. Nobis tamèn ea arripet quâ vel in *Hypostatica* quia *ὑπὸ στασι* seu subsistentiam habent: Eaq; secundum materiam quam respiciunt, in *Ignea*, *Aquea*, & *Spirituosa*. Vel in *Emphatica* quia *ἐμφασι* nudam & inanem tantum speciem habent: *Dividuntur*.

VII. *Meteora Ignita sunt quæ ex Effluvio pingvi & sulphureo accenso oriuntur.*

Ignitum dicitur Meteoron, non quod Ignitam duntaxat materiam habeat, sed quia per ignem in aëre incenditur: Sunt autem sequentia: *Ignis fatuus* (quia motum habet instabilem & homines sepe numero infatuat, sic dictus) *candelæ ardentis* & huc illucq; errantis speciem referens. Gignitur præcipuè in locis pingvioribus, metallicis, pastribus & publ. supplicio destinatis. Formam exter-

na illa refert figura, ubi huc illucq; errare; Hominem se
 accedentem fugere, à se autem discedentem insequi,
 conspicitur: Idq; propterea quia homo aëra pellit. *Ignis
 Lambens, (quod non urat sed lambere q: videatur, dictus)* homi-
 num capitibus, humeris, vestimentis, Equorum capillis,
 auribus, jubeis, pilis; Navium antennis & malis interdum
 sine noxâ adhærens. *Ut de servio Tullio Livius Decad. 1.
 & de Ascanio Virgilius lib. 2. Aeneid. commemorant.* In an-
 tennis Navium cum hic ignis ob materiæ unctuositatem
 adhærescit, Nautæ aliquid præcipui observant. Qui
 inquam si geminus apparuerit *διωσκει* @, vel Jovis filios
Cæstorem sc. & *Pollucem*: (Jovis hi gemelli mare tutum à
 Piratis præstitisse dic.) appellant, quos quia malorum
 nuncupantur depulsores: prosperæ Navigationis cen-
 sent præfagos. Sin v. Unicus, *Helenam* nominant, quæ
 licet formosa, Græcis tamèn exitiosa erat; Ita etiam
 hunc ignem aspectu quidem jucundum magnas tamèn
 denotare tempestates arbitrantur. *Plin. lib 2. c. 37.* Vel
 quia unicam flammam denotare multum restantis ma-
 teriæ ventorum, vel non sufficere Materiæ tempestuosæ
 absumentæ, vel etiam significare exhalationem adhuc
 compactam, quæ non statim queat dissipari, existimant.
 Sed quædam in his gentilem superstitionem redolent.
Draco volans qui Draconis volantis mentitur speciem.
 Meteoron hoc accensum, cum partes habeat medias densi-
 ores, extremas subtiliores, Draconem volantem re-
 præsentat. Generatur in Media aëris regione, nonnun-
 quam etiam in tectis & caminis conspicitur. *Fulmen*
 quod intra nubes detentum ex iis per aërem ad terram
 violenter detruditur. De hujus causis perplexa extant
 sententiarum divortia, quæ hic ob pagellarum angusti-
 am sacro silentii peplo involvimus, Sperlingius ex sen-
 tentiâ

tentiâ Chymicorū hunc generationis describit modum :
Sulphurea Effluvia nitrosis permista, rem facile dant expeditam.
Nitrum enim accensum (ut loquar cum vulgo & sentiam cum
eruditis) subito & uno q. momento deflagrat, strepitumq; & fra-
gorem edit ingentem. Sulphur verò flammam facile concipit.
Coniuncta ista effluvia tamdiu se invicem tolerant, quamdiu i-
gneum sulphur non concipit. Factâ verò inflammatione, mox
sequitur fragor & violenta ignium ejectione. Fragor ex subitâ
aëris percussione. Ignium ejectione ex pugnâ. Non enim natur-
ra, sed servitus ignis hoc praestat. Inst. Phys. lib. 5. pag. 298.
 Nos pariter ut ubiq; ita etiam hic, dexteram celebramus
 omnipotentis, de cuius throno, voces, fulgura, & toni-
 trua procedunt. Fulminum genera inter alios tradit Se-
 neca lib. 2. c. 40. p. 688. Fulminum genera sunt illa, quod
 terebrat, quod discutit, quod urit. Quod terebrat, subtile est
 & flammeum, cui per angustissimum fuga est, ob sincerâ & purâ
 flamma tenuitatem. Quod Dissipat, conglobatum est, & habet ad-
 mixtam vim Spiritus coacti & procellosi. Itaq; illud fulmen per id
 foramen quo ingressum est, redit & evadit. Hujus latè sparsa
 vis rumpit icla non perforat. Tertium illud genus quod urit, mul-
 tum terreni habet, & igneum magis est quam flammeum. Itaq;
 relinquit magnas ignium notas, quae percussis inhereant. Nullum
 quidem sine igni fulmen venit. Sed hoc propriè igneum dici-
 mus, quod manifesta ardoris vestigia imprimit. Quod aut u-
 rit, aut fuscatur, tribus modis urit: aut enim afflat, & levi injuria
 ladit; aut comburit; aut accendit. Omnia ista urunt, se ge-
 nere & modo differunt. Quodcumq; combustum est, utiq; & u-
 stum est. At non omne quod ustum, utiq; & combustum est. I-
 tem quod accensum est. Potest enim illud ipso transitu ignis
 ussisse. Quis nescit quaedam uri quidem, nec ardere? Nihil
 autem potest ardere, quod non uratur. Uuum hoc adij: iam.
 Potest aliquid esse combustum, quod non sit accensum. Potest

accensum esse, nec combustum. Fulmen duos habet comites: *Tonitru* quod sonus est in nube, ex concursu sulphuris & Nitri. Hic tamen observandum, *Tonitrua* etiam aliquando sine nubibus fieri & coelo sereno: Non solum ex materiâ conclusâ, & exitum quærente, sed etiam ex subitâ aëris fractione fieri credendum. *Fulgur* est flammæ micatio ab effluviis sulphureis accensis orta. Hic notandum, etsi *tonitrua* simul fiant tempore, nunquam tamen posse audiri, nisi prius visa fuerint *fulgura*. Ratio subest, tum ex modo visionis, quia visio celerior semper est auditu, & illa fit per species visibiles, ad momentaneam propagationem tanquam magis idoneas: tum etiam *auditionis* quia ante frangitur aër quam nostras feriet aures, & per earum anfractus perveniet ad sensorium, & ita species audibilis per varias circumgyrationes defertur ad organa auditus. Hisce adiungitur & accidit *Lapis fulminarius* quibusdam *Cuneus* dicitur, qui nonnunquam etiam fulmen comitatur, & est corpus durum in Nubibus, Spiritu lapidifico præsentem, genitum. *Hæc de Meteoris Igneis ceu præcipua annotasse sufficiat.*

VIII. *Meteora aquea sunt quæ ex effluvijs aqueis oriuntur.*

Hæc *Meteora* pro materia aquam habent, unde *Aquea* dicuntur. Quæ quia Protheo mutabilior mutabiles etiam induit formas, sunt tamen maximè præcipua: *Nubes* Ex Effluviis aqueis in mediam aëris regionem delatis genita, ubi Deus eam quasi ligasse maximâ cum admiratione conspicitur, aliàs etiam eam ab aëre sustineri in alto, ventorumq; motibus hinc inde ferri ne decidat, haud indubium. Hinc etiam non inelegantè de *Nubium* à terrâ distantia, quæritur. De quâ Authores di-

versas per seculum sententias fovebant. Vel enim eas
 à terrâ utpote *Scaliger* non ultra dimidium milliare; Vel
 quadrantem tantum unius mill. ut *Copernicus*; vel 12, ut
Tycho Brahe; Vel 13, ut *Vitellio*, vel 193, ut *Cardanus*; vel
Abdomadû cujusdam demonstratione 30, milliaria; Vel
 inæqualitèr, aliàs longius; aliàs propius, pro varietate
 materiæ, locorum, & temporum, statuerunt; In calidis
 altissimo, in frigidis humilimo, temperatis medio hære-
 re loco. Ætate altiorem; Hyème depressiores; Vere
 & Autumno in medio esse. Fœcundas humiliorem,
 steriles altiorem obtinere locum. Quidam etiam distan-
 tiæ judicium ex guttis desumunt pluviarum, eas nempe
 grandiores propinquitatem nubium indicare. Hic a-
 tenendum distantiã inter nubes & terram exactè com-
 putari non posse. Nubes aliæ *steriles* quæ in atomos ex
 quibus constant abeunt & pluviã carent; aliæ *Fœcundæ*
 quæ pluviã effundunt, & sunt semitæ ac orbitæ DEI
 stillantes pinguedinem. *Pluvia* igitur è nube in guttu-
 las aqueas mutata oritur. Astrologi inter causas effi-
 cientes aspectus ponunt planetarum, plus vel minus in si-
 gnis humidis constitutorũ: Ut si Saturni conjunctio cum
 Jove, fuerit in Cancro, Scorpione vel Piscibus perpetuos
Nimbos efficiet. Considerant item ortus & occasus stel-
 larum fixarum pro ratione quartarum anni. Dividitur
 Pluvia in *Naturalem* quæ ex causis Physicis guttulas aquæ
 pluit, & pro diversitate nubis, eorumq; loco nunc altio-
 re, nunc humiliore diversa sortitur nomina. Ex nu-
 be exigua & dissimili cum guttulæ rori similis deci-
 dunt *stillicidia* dicuntur: Ex nube densiori cum guttæ
 tenues magnâ copiã defluunt, *Imber* appellatur; Ex nu-
 be deniq; spissâ propinquiore quando majores & den-
 siores guttæ, confertim & cum impetu descendunt, *Nim-*

bus appellatur. Rursus pluvia Naturalis, vel est *tempesiva* quæ decedit autumno & vere postquam agri culti sunt, & semen terræ mandatum: Vel *serotina* quæ sub tempus messis antecedit collectionem frugum, ut spicas contineat & impleat. Vel *Prodigiosam* quæ certissimo Dei fit iudicio, ita ut decidant lapides, sulphur, ignis & similia. Cum sol ex arboribus Lanuginē atrahit, Lanugine pluit. Cum Sol ex locis ubi magnæ hominum strages factæ vel ex locis aquosis rubedine affectis vapores attollit, vel cū calor solis ita percoquit vaporem, ut rubescat, vapores. Sangvineos elicit, Sangvine pluit. In aëre cum Metallice exhalationes contentæ coalescunt ferro, & consimilib. pluit. Coeterum etiam Pisciculos, ranunculos, & alia animalcula, ad peccatorum poenas, in nubibus, ex semine tn. generari, testis est *Experientia*. *Reliqua Aquea M. ut sunt, Nix Grando, Pruiua, Ros, Nebula, Glacies: &c. intenta breuitas quoad paraphrasin præterire monet.*

IX. Meteora Spirituosa sunt quæ ex Effluvijs flatuosis oriuntur.

Supposuimus Meteora tum Ignea tum etiam Aquea: Sequuntur Spirituosa, à Causâ Efficiente proximâ quæ effluvia flatuosa sunt sic dicta: Et sunt duo: *Ventus & Terramotus*. Ventus qui ex Effluvio flatuoso, aut etiam Cavernis terræ, ut & Effluvijs & lacubus oritur. Generatur a, non solum in mediâ, sed etiam infimâ aëris regione, peculiari astrorum influxu, quæ è terris & aquis Effluvia flatuosa extrahunt, & nunc infimam, nunc mediâ aëris agitant regionem. Ingenuè tamen hic fatendum, hunc unum ex ijs esse quæ in naturâ maximâ partem latent, adeò ut cum Psalmista fateri necessum habeamus: *Deus producit ventos de thesauris suis*. De tempore a. notandum Contrariis temporibus, contrarios spirare ventos:

ventos: Hyeme calidos, ut, *Austrum* & *orientem* cum suis
 collateralibus: Aestate frigidus, ut *Septentrionem* & *occi-*
dentalem cum suis vicissim collateralibus. De Numero
 ventorum magna jam dudum agitata lis est: Nos eos di-
 vidimus vel in *Diurnos* qui ex certo mundi spirant An-
 gulo; eosq; vel in *Indefinitos* qui non certis anni tempo-
 ribus spirant: hos in *Cardinales* qui a quatuor Principali-
 bus horizontis punctis spirant: Ut *subsolanus* ab ortu æqui-
 noctali: *Auster* a Meridie: *Zephyrus* ab occasu: *Aquilo*
lo a septentrione spirans. Et *Collaterales* quæ his ad la-
 tera adjunguntur, ut a loco inter ortum & meridiem
Medio: *Euronotus*: Inter Meridiem & occasum, *Notozephyrus*.
 Inter occasum & septentrionem. *Trafciozephyrus*.
 Inter septentrionem & ortum, *Borrapeliotes*. Vel *Statos*
 qui statis spirant anni temporibus, ut sunt: *Chelidonia*,
 spirantes tempore verno, & *Ethefia* qui biduo post exortu
 caniculæ 40. dies, saluberrimo spirant flatu, & nimios
 temperant calores. Ethefias præcedunt *Prodromi* placidi
 flatus Aquilonis 8. dies ante caniculam exorti. Vel *Irre-*
gulares seu subitaneos, qui undiquaq; oberrant, & sunt:
Ecnephas vehemens V. qui ex multis flatibus in gyrū con-
 torquetur, *Typhon* ventus repente erumpens, qui absq;
 circumgyratione ruit, aërem obscurat & pluviam præce-
 dit. *Præster* qui cum igne compactus obvia quaq; com-
 burit. *Exhydrias* V. vehementis. è nube cum imbre &
 grandine profilit. *Terramotus* qui est Effluvio spirituo-
 so, terræ cavernis violentè incluso, dum sibi viam parat
 terram concutit. Dividitur in *simplicem* & *Compositum*.
 Simplex est vel *Tremor* qui dicitur agitatio terræ in latera,
 & causatur ruinam ædificiorum; Vel *Pulsus* est agitatio
 terræ ex imo, ubi illa sursum, deorsumq; movetur, & in-
 tumescens assurgit; dic. Terræ motus in alto. *Composi-*

is est cum terra non uno modo agitur sed ob contrari-
os effluviatorum impetus percussitur in longum & latum.
X. *Ex Meteoris Emphaticis potiora sunt: Iris,*
Parelius, Halo, Virga, &c.

Haec tenus vera fuerunt Meteora, sequens est ut etiam
de apparentibus, quæ nihil aliud sunt quam mendax sine
re similitudo, paucis mentem nostram aperiemus. Ejus-
modi a. sunt: *Iris* quæ in & à guttulis aqueis, ex radio-
rum solis oppositi, receptione, refractione, & reflexione
genita, arcum multicolorem spectantibus exhibet. Hic
status Quæstionis est: *An radij Solis vel luna efficiant Iri-*
dem reflexione; An refractione & reflexione simul? Nos eo-
rum assequimur sententiam qui reflexionem & refra-
ctionem unâ concurrere statuunt: In generatione igitur
Iridis, tria radiationis genera occurrunt: Radiatura, vel
Recta quia guttulæ illæ aqueæ à quibus Iris fit directè
Soli sunt oppositæ: Vel *Reflexa* quia guttulæ illæ sunt in-
stita speculorum: vel deniq; *Refracta*: Quia radii varii
in guttulas illas aqueas intrantes nec penetrant, nec refle-
ctuntur. Generatur itaq; Iris: In guttulas resolvitur
Nubes, radii solares & Lunares guttulas illas illustant, in
quibus radii lucidi, variè refracti, & ad visum nostrum re-
flexi arcum varicolorem exhibent. Forma Iridis valdè
speciosa est in decore suo pro ut innuit *Syracides*. Quare
etiam *Filia Thaumantis* & *vexillum Mercurij* à Poëtis sa-
lutatur. Nunc enim punicea nunc purpurea, nunc vi-
ridis, nunc flava &c. conspicitur. Interdum formam
semicirculi, luminari inquam in horizonte, vel in ortu,
vel occasu constituto: Interdum arcum semicirculo mi-
norem, Luminari supra horizontem existente, repræ-
sentat. Sed nunquam integram solis imaginem; Idq;
vel ob refractionum multitudinem, vel ob divisam aquâ,
vel

vel ob loci intercapedinem, refert. Numerus multiplex est: Nunc enim simplex, nunc duplex, nunc etiam triplex &c. simul conspicitur. Quo sol altior eo minor; quo v. humilior eo major apparet. Hinc etiam colligunt Mathematici, Iridem si sol ultra grad. 42, supra horizontem sit constitutus, amplius cerni non posse. Solet etiam hic disceptari: *An Iris quoq; ante Diluuium fuerit?* Pleriq; affirmatiuam tuentur: Quia positis causis veris, sufficientibus & non impeditis effectum etiam sequi necesse est. Fuerunt Causæ, fuit sol, fuerunt guttæ aqueæ, & oculus E. & res ipsa fuit. *Parelius* imago solis ad latus posita, in nube continua splendida & æquali. Ut enim rei visibilis imago in speculo ad latus posito, per refractionem & reflexionem duplex apparet: Ita etiam si nubes æqualis ad latus soli opposita occurrat, duo quasi soles, imò tres, quatuor aut plures prout *Ruthardus* observavit, *Cosm. Theor. 4. th. 3.* apparebunt. *Paraselenæ* quæ eadem ratione ac *Parelius* generatür, & in hoc tantum ab eo differt, quod illa imago Solis hæc Lunæ sit. *Finis harum Solis & Lunæ Imaginum est prænunciare varias aëris mutationes, hominum dissidia & bella: Præcipuè ruinam eorum qui regibus & principibus proximi sunt. Illos inquam Soles q. rerum pub. non facere suum officium, ideo q; pœnas sibi & subditis suis attrahere, indicantes.* *Virgæ* in nube aquosa & dissimiliter rara ex radiorum solis ad latus collocati, receptione & reflexione genitæ, lineas perpendiculares representant. *Halo* ex radijs solis aut alterius alicujus stellæ majoris in nubem subjectam, densam & æqualem sparsis & per omnium extremitatem diffusis genita, coronæ speciem exhibet. Noctu frequentius apparet, & quidem circa lunam. *Chasma* ex Effluvio sulphureo in aërem elevato genitum, cœli dehiscens & ardentis formam præbet.

Stella Cadens ex effluvio supernè accenso, genita, ob loci frigiditatem deorsum detrusa, stellæ è cœlo cadentis figuram offert. Epicuri igitur opinio firmo non nititur talo, qui singulis hominib. singulas stellas esse attributas, easq; decedentes hominis mortem indicare, somniavit. Reverà n si decidissent toties, quoties meteoron hoc est visum & observatum, tantus ac conspiciuntur earum non restaret numerus. Alioquin etiam Stella vel unica propter suam magnitudinem totam terram operiret. Colores nubium è diversâ solis aliorumq; astrorum illuminatione diversos in nubibus sortiuntur colores. Nunc albos, cum vz. lumen incidit in nubem rariorem & subtiliorem: Nunc nigros: qui ex nube densâ & crassâ & parum luminis recipiente producitur: Nunc rubeos, cum in fumosam & vaporosam diffunditur: Nunc virides ex nube roridâ & aquosâ. Huc referuntur Rubedo Matutina & Vespertina quæ ex eodem promanant fonte, & nihil aliud sunt quam nubium colores. Et hic Meteorologiæ finis esto.

*Approbet Aſſripotens, tenui quæ parta labore,
His dedimus, Captum quo benè cedat opus.*

Venerabili & Doctissimo

DN. ABRAHAMO A. IKALENSI Confangvino suo dilectissimo, Pro summo in Philosophiâ gradu perdoctè disputanti

Aſſiduo, Musæ, Musarum reddite laudes
Cultori vobis operam dat strenuus ille,
Et dedit; Haud illi placuerunt pocula Circes,
Cypridis haud placuere rosæ, vel Adonidis horti.
Gratulor & voveo prosperrima ferta futura,
Quæ Patriam decorent, teq; ornent atq; Parentes.

Animitus appl. usit

JOHANNES H. LILIUS.